



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,  
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è  
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem  
Accommodata**

**Worpitz, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

Pars ultima Rhetoricæ de Pronuntiatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)



Multiplicari possunt loci in infinitum secundum diversitatem colorum & signorum. quibus manus signantur & ornantur: quod quomodo fieri debeat, ex me accipe. Accepi ego, inquit ille, aliquando librum, quem pluribus decoravi manibus, & figuris ostendentibus facies ambarum manuum, in quibus figuras semper easdem posui; manuum autem facies quatuor pro prima vice albæ erant, juxta naturam paginæ. pro secunda vice nigra, pro tertia rubra, & sic semper diversificavi colores in libro, ut per sensum fieret facilis apprehensio in intellectu. Cum autem defecerunt colores supra quatuor facies manuum, descripsi aliqua signa: scilicet in primis quatuor faciebus coronam, in secundis liliū, in tertiis avem, & sic variando signa, facta fuit variatio manuum, & multiplicatio locorum. Multa quidem & alia essent dicenda pro artis facilitate, sed ne fiat nimis vulgaris ut etiam eâ cerdones, & setarii utantur, quæ dicta sunt sufficiant, hæc ille.

Ratio locorum multiplicandi.

## PARS ULTIMA

### *Rhetorica.*

#### De Pronuntiatione.

**H**Æc quidem ultima Eloquentiæ pars, sed non postrema, cui Demost. primas & secundas, & tertias attribuit: quâ instructi puelli sæpe maximam retulere gratiã & plausum, ob concinnam vocis & actionis moderationem. Hac unâ re Hortensius Ciceroni, si non æqualis, certè secundus fuit, cum  
ejus



ejus scripta longè abfuerint ab illa viva eloquentiæ forma, ut appareret aliquid placuisse eo dicente, quod postea legentes non inuenerint. Et verò ingeniosè inventa prudenter disposita, floridè exornata oratio est quidem aliquid, si tacitè legatur, longè tamen amplius, si viva voce, & actione animata excipiatur. Hinc Gracchus tantam adhibuit diligentiam, ut seruum literatum, & peritum post se occulto loco haberet, qui concionanti inflaret eburneâ fistulâ sonum, quo illum, aut remissû, excitaret, aut à contentione revocaret. Porrò pronuntiatio in 2. consistit; in voce & gestu, seu actione: prima pars aures concernit, altera oculos, per quos duos sensus, omnis eloquentiæ vis ad animû dimanat.

§. I. De Moderatione vocis.

Sonus vocis, rebus, quæ proferuntur, accommodandus est, ut de magnis graviter, de levibus remissè, aut contemptim dicatur. Neque semper eodem vocis tono declamandum v. g. clamosè semper, aut somnolentè; sed modò attollenda vox, modò deprimèda prout res postulat; nam si perpetuò remissè dicatur, aut languidè; si nō dormitat auditor saltè nō adeo dictioni erit intentus: si autè clamosè omnia proferantur, præterquâ quod absonum, & stentorium sit vociferari, etiam nimia assiduitate obtunditur auditus, ut nec vehementiâ quidem excitetur; non secus ac contingis illis, qui inter rotarum in molendino strepitus non excitantur, sed dormiunt securi, quòd illis assueverint. Varianda igitur vox, & modò attollenda, modò deprimenda



menda, quemadmodum in concentu musico fieri consuevit; varietas enim & hic delectat: ubi vehemens est affectus, vehementiâ opus est vocis, ubi mediocris, mediocri, ubi lenis leni. Si affectus sit exultantis animi, exprimendus excitatâ & plaudente voce; si doloris, lugubri, si admirationis, attonitâ, si exclamantis, aut optantis, intensâ, si timentis, remissâ & tremulâ: si insultantis generosâ, si interrogantis, acutâ, si reprehendentis aberbâ. Inde patet, matersâ ac potissimû sententiarum figuras (hæ enim materiæ accomodandæ sunt) præ oculis esse habendas. Sanè aliter Ironia atq; Allegoria efferi postulat. Sic Cicero pro Ligario. Vide Cæsar, quàm non reformidem, quanta lux tuæ liberalitatis, & sapientiæ mihi apud te dicenti oboriatur: quantû potero voce contédâ, ut hoc popul Rom. exaudiat. Suscepto bello Cæsar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate, ad ea arma profectus sum, quæ erant sùpta contra te & c. Hic concitata vocis exemplû habes. flexibilis verò, interrupta & flebilis in illo Gracchianæ Orationis loco, quò me miser conferâ? quò vertam? in Capitolium ne? at fratris sanguine redundat. An domû! matremne ut miseram, lamentantēq; videâ, & abjectam? Timentis affectus est in exordio pro Milone; itatî contra Antonium Phil. 2. O præclaram illam tuam eloquentiam, cû es nudus concionatus! quid turpius? quid fædius? quid suppliciis omnibus dignius? num expectas, dū te stimulis fodiâ? hæc te si ullâ partem habes sensus, lacerat, hæc te cruentat



oratio &c. Advertit autem Quintilianus. nō in toto solum contextu, sed etiam in singulis propè verbis mutandam esse vocem: sic principium pro Milone: *Etsi vereor iudices*: dicit submissa voce esse pronuntiatum à Cicetone, quia est exordium (in exordio enim mox vociferari agreste est, & vocē principio debilitat, ut postea rauescere cogatur) & sollicitū quidē: tamen aliquid plenius & erectius dum dixit: *pro fortissimo viro* quàm cum: *etsi vereor iudices & turpe sit & timere*. Ulterius verò ut verbis crescit oratio, ita & vocem intumuisse asserit, præsertim cum magnitudo animi Miloniani ostenditur &c. Imò sunt, qui in ipsius dictionū syllabis varietatem vocis faciendam quandoq; esse monent, non secus ac fit in musica: & patet in illo in Antoniū Phil. 2. cui eructare turpe esset, is vomens frustis, esculentis, vinum redolentibus gremium suū implevit. Ubi in *eructare*, vomere, implere trahendæ sunt vocales; aperiendæ fauces, ut absurditas rei exprimatur. Idem cum proportionem factitandum in aliis. Hanc artem ut quis assequatur, optimum censet Fabius, ediscere quā maximè varia, quæ vocis flexis omnes habent, eaq; quotidie dicere (quod etiam ad purificandam, rectificandamque vocem juvat, & ad conservandam à sene Cicetone factitatum est, qui ambulatione quoque usus est in hunc finem, & temperantia) ut dicenda sunt. Hujus rei causa declamationum in scholis nostris est usus, in quibus, qui frequentius adhibiti sunt, longè majori perorant gratiâ, quàm alii. Sunt ean-



eandem ob rem Magistri, qui suis Tironibus concinnatos variis affectibus tonos ( ut vo-  
cant) ediscendos tradunt, in quibus totius an-  
ni decursu, certis in hebdomada diebus sin-  
guli per ordinem exercentur. Possunt & alii  
loci ediscendi assignari v. g. ex caufino lib. 8.  
ex Seneca Tragedo fragmentum, in quo il-  
lustris affectus expressus est, ex Cicerone,  
Virgilio. v. g. constitit & lacrymans: quis  
jam locus ( inquit ) Achates? quæ Regio in  
terris, nostri non plena laboris? En Priamus  
&c. ubi lætitia cum fletu miscetur

§. II. De Gestu seu Actione.

Sensus animi non solâ voce pandimus, sed  
& gestu, hoc enim modo cû surdis loquimur  
& muti nobiscum: unde gestus ab ipso Tullio  
viva eloquentia compellatur, quo etiã mu-  
ta animantia varios doloris & lætitiæ affe-  
ctus, præsertim oculis exprimunt. Hinc sum-  
mũ studiũ duo oratorum Principes in actio-  
ne collocarunt. Demost. grande speculũ in-  
tuens cõponebat actionẽ corporis, & gestũ,  
suis demum credẽs oculis, quid gestu valeret.  
Quin etiam satyrum histrionẽ ad eas artes  
Magistrum adhibuit. Sed & Cicero histrio-  
nibus magistris Roscio Comædo, & Æsopo  
Tragico usus est. Cum Roscio animi quoque  
gratiã sapius contendere solitus erat, utrum  
ille pluribus rem eandẽ gestibus effingeret?  
an ipse variis elocutionis formulis sententiã  
unam pronuntiaret? ita viim figuris sententiã  
rũ non inferiorem in gestu existimabat. De  
Graccho refert Cicero, quòd cùm illa supe-  
rius posita: quòd me miser conferam &c. ipse  
Ci-

Ci-



Cicero verbis recitaret, & Gracchus exprimeret oculis, vultu & gestu, ita comotos esse ejus inimicos, ut lacrymas tenere non possent. Non est autem putandum solis præceptis gratiam hanc acquiri, sed quã maximè exercitatione & imitatione ut monet Cypr. lib. l. c. hinc audiendi celebres oratores, & concionatores; & observandum, quid decori afferant in agendo, quid ad gustum, motumque faciens, ac deinde privatim exercitatione exprimendum. Id ipsum in spectaculis, comædiis, tragediis, declamationibus scholasticis, quæ non solum ad privatum agentium, sed etiam spectantium sunt profectum, factitandum est. Cæterum præcepta ferè hæc præscribuntur, status corporis sit erectus, hoc enim secundum naturam est, quæ os homini sublime dedit, caelumque tueri iussit, & erectos ad sidera tollere vultus. Nutatio igitur, & vacillatio fugienda, ne Orator audiat, quod Curio à Julio Cæsare querente, quis è lintre loqueretur nam se Curio velut in cunis agitabat corpore. Aut quod eidem objecit Q. Sicynius, quod muscas pepulisset Octavio unguentis delibuto, more suo se jactando. Subinde tamen jactatio, & inclinatio ad rem ipsam exprimendam necessaria est, ut dum de jactatione navis in fluctibus agitur. Quod membrorum singulorum actum concernit, hoc universim tenendum est, ut gravis sit, non levis, lascivus, petulans, mollis & effeminatus: eloquentia enim est loquens sapientia; sapientis autem est gravem præferre membrorum habitum; scenica igitur gestu-



sticulatione histrionibus relinquatur, qui oblationi deserviunt, non decoro. Orator forti & virili, non puerili & ludicra laterum inflexione, capitis brachiorumq; motu utatur, gestum magis ad sensum, ac re universam, non ad singula propè verba accommodans. Hortensius, quod nimius esset in gestibus, gesticularia Dionysia ( id saltatriculæ tunc famosa nomen erat) appellatus est teste Gellio & Cicerone. In particulari de capite hoc observandum est, ut leviter huc atque illuc non projiciatur; sit erectum non pendulum: demitti tamen non nihil potest, dum modestia animiq; depressio est exprimenda. Etiam in exordiis à Cicerone usurpatum est, reverentia & timoris indicandi causa, ut patet in Orat. pro Dejotaro. Solo capite facere gestum, aut frequenter, vitiosum est; frontem ferire in dolore, Ciceroni videtur oratorium, Fabio scenicum. Quod dictum est de capite, idem de oculis accipiendum, oculi enim capiti conformandi. Sic accipiendum illud Virgilii, modestiam famina tribuente: tum breviter Dido vultum demissa profatur. Quin universum hoc observandum, ut jactus oculorum, gestuum, non capitis duntaxat, sed & manuum & pedum sequatur, nisi dum aliquid damnamus, rejicimus, averfamur v. g. Dii talem terris avertite pestem! tum enim oculi aliorum torquendi, quam manus feratur. In oculis, ac vultu plurimum situm est, hi enim velut interioris animi fenestræ manifestant affectus, amorem, iram, pudorem, timorem, gaudium



dium &c. Quare ea forma exprimendi sunt oratori, quæ formantur ab iis, qui re ipsa amant, furunt, timent &c. Unde advertendum, quis affectus spectatâ materiâ, & figura sententiæ exprimendus sit? si enim riseris ore, aut oculos liberè jeceris, dū triste quid refers, esto voce tristi utaris, nil movebis Auditorem, nisi ad risum aut disgustum. Idem est dum ira, vultu, oculisq; referenda. Ad hoc facilius præstandum, juvat expendisse materiâ dicendam, & meditatione effectum illum animo imbibisse; hoc enim conferet ad nativam in vultu & oculis expressionem affectûs, quin etiam ad intensionem, remissionemque vocis suo tempore faciendam. Hoc si sacri Oratores sibi curæ sumerent, non tam frigida, atque inanes tot illorum essent dictiones: aliter enim eos in animo sentire, atque loquuntur, frons, oculique indicant. Narium, labiorum, menti, cervicum & humerorum rarus est gestus? Humeros jactabat Demosthenes, sed hoc vitium irâ dicitur emendâsse, ut cum in angusto pulpito stans, peroraret, hasta dependens humero immineret, quæ calore dicendi excedentem, offensa illa commonefaceret. Sicut autem sine brachio vel manu truncum est corpus, ita & actio si motu brachiorum & manûs sit destituta. Brachii foras projectio laudatur in contentionibus, contractio in remissis dictionibus. Manus autem sinistra nunquam sola movetur, dextræ se-



se frequenter accommodat, ne otiosa & iners videatur. Manus jungere in optatione, aut precibus fundendis est necesse: complodere scenicum putatur; manu ferire pulpitem, rusticum est; nisi vehemens effectus exigat: secare quasi gladio pulpitem, aut aërem, pugitum est. In enumeratione tamen plurium verb. grat. affectuum, vel adjunctorum, in contentionibus præsertim, pondus facit. In remissis autem narrationibus, aut ubi res singularis non est indicanda, utraque manus æqualiter vibratur graviter, modò palmâ sursum patulâ, modò inversâ; non enim eodem semper modo gestus faciendus. Si res singularis demonstranda est, & fieri potest, manu vel digitis faciendum v. g. pacem inire, minari, connivere, erubescere &c. quæ prout fiunt, exprimenda sunt, v. g. manibus conjunctis fœdus & pax, per digitos aspiciendo, dissimulatio. Caterum si nihil singulare indicandum sit digitis, juncti tenendi, non divaricandi in gestu. Si instantior sit motus, quo etiam pulpitem feriatur, jungitur pollex cum duobus proximis in conum, reliquis duobus sub pollicem retractis. In vindicando, comminando, exprobrando utimur solo indice, sicut & dum unitas exprimenda. Contrahere quatuor digitos in manum, & postea explicare, submissionis & tenuitatis est signum v. g. Si quid est in me ingenii, quod sentio, quam



fit exiguum. Tullius argutias digitorum vetat, ne ad numerum cadat oratio. Quod reliqua membra attinet, Fabio scenicum est ventrem projicere, pectus cadere, at femur ferire indignatos decet, & excitat Auditorem. Supplisio pedis in contentionibus inchoandis & finiendis, est opportuna, incessus permittitur Oratori, sed rarus: discursare autem ineptissimum est. Hinc facetè Flavius Virginius interrogavit de quodam, quot millia passuum declamâset. Verùm hoc de scenica actione non est accipiendum, in qua statio perpetua, truncam actionem facit.

*§. III. Regula artificiosa Pronuntiationis, & actionis ex Cicero-  
ne & Quintiliano potissimum collecta,*

A Patre Joanne Voelo Soc. JESU.

**C**UM in dicendo præcipuum id esse videtur, ut non modò verba rebus, sed vox verbis, motusq; voci sit accommodatus: utilissimum fore visum est, actionem oratori propriam regulis quibusdam breviter complecti. Quarum primæ spectant ea, quæ dicendi actum præcedunt, mediæ pronuntiationem ipsam & actionem: postremæ verò ea, quæ dicendi actum consequuntur.

De



*De iis, quæ præcedunt actum dicendi.*

**Regula I.**

Ante omnia suam orationem orator memoriâ teneat, ita ut expeditè eam, sine interruptione, vel hæsitatione possit recitare.

**II.**

Deinde pronunciando se privatim exerceat, optimum autem exercitationis genus esse ducat, quod ipsi operi sit quàm simillimum. Rerum igitur dicendarum varietatem privatim observare, iisque sonum vocis & gestum regulis, quæ sequuntur præscriptum, accommodare consuescat.

**III.**

Expedit rerû, ac personarum, de quibus agitur, locos diversos ante se dextrâ, lævâq; positos animo concipere, ad quos oratio, manus, oculi, motusque omnis convertatur.

**IV.**

Quicumque dicendo volet excellere, vocis suæ quantitatem, qualitatem & usum privatâ exercitatione, ut experiatur, necesse est. Quantitas vocis duas habet cautiones: una est, ut tantus sit sonus, quantum loci amplitudo postulabit: altera, ut cui vox est imbecillis, insurgat rarò, rariùs exclamet, sæpe summittat, deflectat sæpe. Qualitas vocis item in duabus maximè cernitur; ut clara sit, ut suavis: claritas augebitur frequenti exercitatione pronunciâdi ea, quæ clamorem habeant, & disputationem, & flexum: suavitas imitatione, suaviter, presseque loquêtium, eaque soni moderatione, quâ vox ad finem



nem usque pura, flexibilis, facilis, aptaque perseveret. V.

Ad motus, vocisque confirmationem prodest amici prudentis iudicium adhibere, gestum à minori motu, ad maiorem vocem, ab imis sonis ad summos præparare. spiritumq; ut longior fiat, pluribus vel sibus cõtinaua voce pronuntiatis subinde producere.

## VI.

Non nisi gratia à DEO precibus expedita, animoq; prius collecto & alacritate quadam excitato, naribus ac pectore (si opus esse videatur) præpurgatis, veste composita cum dignitate quadam ac gravitate, neq; timidus, neque perturbatus ad dicendum accedat.

## VII.

In loco ubi dicendū erit consistens antequā orationē incipiat, exhibito auditorib<sup>9</sup>, honore, breviuscula mora sibi cõparet attentionē.

*De ipso dicendi actu.*

Cum actio nihil sit aliud, quàm vocis & gestus moderatio; constat omnem actionem duabus partibus contineri: sono vocis & corporis motu. Duo igitur regularum genera constituenda sunt: unum quod ad vocis moderationem, alterum quod ad gestus conformandos pertineat: maximè enim solet Auditores permovere, quod simul & vox auribus, & gestus oculis, & verba mentibus impresseruat.

*De modo pronuntiandi & vocis moderatione.*

## Regula I.

Facto silentio, jamq; ad audiendum compositis auditoribus, principium orationis (nisi  
si sit



si sit abruptum) clarè, suaviterq; pronunciandum est: non clamosè, neq; præcipitanter, sed temperata voce, gravi & distinctâ modulatione.

II.

Absoluto exordio, sono vocis a pertiore narabit orator, acriore confirmabit flexo miseratione, elato sumus affectus, summislo compositos pronūciabit. III.

Vox non ultrâ vires urgenda. Honorum igitur mediorum præcipuus sit usus: rarior a liorum, minusq; diuturnus: nam summi rumpuntur: imi vim non habent, vox autem media quæ nimiam depressione, & elationem fugiet, est longè omnium optima.

IV.

Non diu tamen eodem tenore pronūciabit, nec quasi leget orationem, sed adhibebit vocis varietatem, pro rerum & affectu varietate: atrociam concitatè, tristitia flebiliter, mediocriam temperatè, grandia cum majestate quadâ, commutatione voce commutata, Protopopæiâ vel Reticientiam concisa profert: observabit sonum proprium affirmantibus, indignantibus, dolentibus, interrogantibus, mirantibus, vel alio affectu commotis: voces deniq; pro ratione rerum significatarum, vel cōtracta voce formabit vel erectâ.

V.

Latini accentus exprimantur suaviter sono latinarum literarum proprio, sine tremore vocis, aut cantilatione, sine peregrina vel rustica, vel effeminata vel dura literarū appellatione, sine sibilo, hiatu, balburie, & id gen<sup>o</sup> aliis deformitatib<sup>o</sup>. Pronuntiatio peregrina



est, quæ Gallicæ, Germanicæ, cæterisque linguis barbaris est propria.

## VI.

Cum in oratione neq; tarditas nimia placeat, quia solvit animos inveniendi, difficultatem fatetur, & auditorē cogit expectare; Neq; volubilitas, & celeritas nimia, quia distinctiones, & affectus confundit, verba truncat, nec satis intelligitur. Optima erit promptitudo moderata, quæ vel sola magnā parit admirationem, quemadmodū memoriæ defectus contemptū parit: nemo enim magno pere mirabitur oratorem, qui chartam inspererit, qui titubaverit, qui hæserit, qui repetierit semel dicta, quantumvis vel tussiendo, vel mungendo, vel spuendo, vel sese inclinādo dissimulantem. VII.

Quamquam neq; dictionum, neq; membrorum, neq; periodorū fines, ita cadere debent, nec ita rapi vel absorberi syllabæ, ut nō intelligantur: molestum tamen est, & odiosum nimis expressè literas, & syllabas singulas velut annumerare. Optimi oratoris est literas nec opprimere, neq; nimis exprimere voces tamen integras proferre, pedes etiam & numeros doctā modulatione nonnunquā servare, præcipuè in finibus sententiarum.

## VIII.

Ut oratio distincta sit, observandum est, ubi, & quonam modo inchoanda vel sustinenda sit, ac quasi suspendenda sententia: deniq; ubi & quonam modo deponendi; ubi comma fuerit, vel parva quædā distinctio, brevioribus intervallis utendum: in membris longioribus



gioribus finibusq; sententiarum, eâ modera-  
tione respirandum est, ut nec celeritas fati-  
get oratorem, neque tarditas afferat tadium  
audientibus. IX.

Nemo cum sonitu respiret, aut majorem  
spiritûs, ac vocis partem per nares emittat.

X.

Finem orationis, si ad concitandû sit com-  
positus, decet continens & intentior sonus, &  
concitata pronuntiatio: si ad placandû lenis,  
si ad hortandum, erectus ac concinnus, si ad  
maiorê, flexus, si ad lætitiã, plenus & jucûd°.

*De Gestu.*

REGULA I.

**H**onore auditoribus exhibito, manibus-  
que in pulpitem prolatis stet rectus ora-  
tor, curamq; ac gravitatem præferens exor-  
diatur, idque vel sine ullo manuum motu,  
vel non nisi leniter paululumq; ultra sonum  
protensâ dextrâ, cum gravi ac tarda in u-  
tramque partem laterum flexione, eodem  
spectantibus oculis, capite, & humeris sen-  
sim obsecundantibus. Quæ quidem late-  
rum virilis conversio, totius orationis de-  
cursu nunc ad hos, nunc ad illos gestum di-  
rigit, tum varietatis gratiã, tum etiam, ut  
orator commodius à pluribus videatur, &  
audiatur; denique ut inter res ipsas, de qui-  
bus agit quasi versetur, singulas ad locos à se  
conceptos gestu referens, quo magis & affi-  
ci possit, & allicere. Nam Cicero laterum  
& totius corporis motu rebus consentiente,  
plus agi putat, quàm ipsis manibus. Manûs  
autem compositio ad exordiendum, gestus-

R r 5

que



que reliquos eleganter formandos, plerumque, vel ea esse debet, quâ pollice elevato, ceteri digiti leviter inflectuntur, vel qua medius digitus in pollicem contrahitur tribus explicatis, vel qua primus quatuor digitis leniter in summum coeuntibus, manu non procul ab ore, vel pectore ad nos conversa fertur, ac deinde prona, ac paulum prolata laxatur, vel indice, medioq; digito (quod narrationi commune est) pollicis junctis, reliquis duobus remissis: vel si quid monstrandum erit, pollice intus inclinato quatuor digitis remissis. II.

Narrationē decet manus magis prolata, gestusq; liberior. Confirmationem acrior, & variis affectibus, de quibus paulò post dicitur, concitatus. III.

Capitis nutum frequentem in vitio esse constat. Non tamen dedecet aliquando, vel annuendo confirmare, vel renuendo negare, vel capitis in latus inclinatione languorem, vel aversione remotionem, indignationem, execrationem aut concessionem significare, vel dubitationis, admirationis, & similium affectuum naturæ, motu capitis, obsequi.

## IV.

Vultus & aspectus nunc severus sit, nunc blandus: nunc erectus & alacer, nunc submissus, & tristis pro rerum diversitate.

## V.

Oculi, nec in trabes, nec in certum aliquem locum stupidè figantur; sed motus animi significant, & vario conjecturas, de quibus dicitur, notent.



## VI.

Labra modico motu verba efficiant, quæ nec lingi, nec morderi, nec replicari, nec torqueri, nec porrigi, nec diduci convenit.

## VII.

Collum neq; contractum esse decet, neq; tensum; cervicem quoque neque rigidam, neque supinam, sed naturali situ rectam.

## VIII.

Dedecet humeros jactare, vel attollere, vel contrahere. IX.

Brachia nec deorsum incomposita pendent, nec sursum ut tela jactentur: dexterum tamen brachium subinde liberiùs proferre licebit; sed non in tantum, quantum patet ejus longitudo (nisi fortè cum ad res magnas gestu notandas in latus exspatiabitur, explicantibus se in proferenda manu digitis) neq; ut velut ad tectum, aut ad cælum erigatur: verum ut in summis tantum affectibus, & raro vel ad dextram supra oculos, vel ad sinistram supra humeros extendatur. Sinistrum verò brachium pierunque ita tenendum, ut quasi angulum rectum faciat, nisi cum motibus dextri obsecundabit.

## X.

Cùm duo sint actionis genera, quæ magis in manuum, quàm reliquarum partium corporis motu cernuntur, aut eam exhibent, quam docet impetus animi, & naturæ: aut eam, quæ curâ, studio, & arte comparatur: utramque & naturalem, & artificiosam actionem orator observabit; ita videlicet, ut motui naturali quendam modum arte ad-



jungat, quo nimia tarditas, nimia celeritas,  
& immoderata vastitas evitetur.

## XI.

Numeros, argumenta, partes, memora, distributionem, vel in digitos eleganter conspicuo motu digerat: vel motibus quibusdã manũ dextræ perducentibus, seriem numerorum à læva ad latus dextrum: vel repetito quolibet leni dextræ motu significet enumerationem: vel modicã percussione dextræ in sinistram, duobus ultimis digitis dextræ palmam, aut pollicis initium prementibus, pollice ad medios articulos juncto prioribus.

## XII.

Supplicabit & invocabit utramque manum vel attollendo, vel submittendo: aut utraque manu vel junctã vel protensã,

## XIII.

Aversabitur, execrabitur, negabit, humero sinistro prolato, capite ad dextram vergente, manuq; dextra propellente in lævam: vel utramq; manum in sinistrum latus avertens, vel utramq; aversam abjiciens: vel in latus utramq; distendens: vel demissis superciliis dextram excutiens: vel capite renuens: vel dextrã in sinistrum latus, unde descendebat, resiliente.

## XVI.

Interrogabit, dextram manum conversam attollens.

## XV.

Urgebit, & instabit alterno motu, nunc totam manum contrahens, nunc totã explicans: vel duos medios pollicis subjiciens, vel indice prono reliquis tribus pollice pressis:  
vel



vel summo indice sinistrae leniter apprehenso: vel medio indicis sinistri articulo apprehenso ad vehementiam majorem: vel medio dextrae digito, in pollicem contracto, reliquis tribus explicatis, ac brachio liberiùs prolato

## XVI.

Distinguet contraria; transferendo dextram supinam, in sinistrum latus, eadem mox pronam in dextrum relatam, pollice intus inclinato & quatuor digitis remissis: vel summo pollice juncto dextri indicis ungui medio ceteris digitis remissis. Distinguet etiam subinde membra sententiarum, & commota manui dextrae accommodata, & leni percussione; nunc majori, nunc minori, nunc pressa, nunc citata, pro rerum, & affectuum diversitate.

## XVII.

Demonstrabit seipsum, manu ad se relatam ubi de se loquitur. Ad res alias demonstrandas, quod attinet, cum septem sint partes motus, quinque earum probantur. Nam dextram, laevamque sursum, deorsum, & ante nos recte ostendimus: sed posteriora gestu retrorsum converso demonstrare, vel circulis, sive gestibus in se redeuntibus uti, vitiosum habetur.

## XVIII.

Disputabit summo indicis articulo apprehenso duobus proximis digitis modice curvatis, minimo interim vix inflexo.

## XIX.

Exprobrabit tribus digitis pressis, & indice explicato: vel presso medio, reliquis tribus explicatis: vel pressis mediis duobus.

## XX.



## XX.

Profert rationes manu primùm collectâ, digitis deorsum spectantibus : mox eâdem conversâ, & resolutâ, ut quasi revera aliquid proferat.

## XXI.

Timebit pro latâ manu dextrâ ad pectus, quatuor primis digitis in summum coëuntibus, quæ deinde prona, & protensa laxetur.

## XXII.

Iraſcetur ſtricto pugno, percussoque pulpito, vel pugno compresso, pectori admoto, voce asperâ, vultu turbato, motibus concitatis, neque vitium erit manu dextrâ ad sinistram, ad humeri altitudinem elevatâ aut femur ( si extra suggestum dicetur ) percutere : aut contentione incipiendâ, vel finiendâ pede supplodere.

## XXIII.

Pœnitebit pressa manu admotâ pectori. Dolebit autem manibus inter se complicatis, vel utrinque dejectis.

## XXIV.

Admirabitur manu resupinâ à minimo digito collectâ, flexuq; redeunte explicatâ, & conversâ, oculis in cælum suspicientibus: vel motu dextræ ad sinistram unde descendebat resiliente.

## XXV.

Ironiam ostendet utroque indice in latus protenso, vultu paulum averſo.

## XXVI.

Asseverabit. dextra remissa, pectori admota: vel manibus quadam gravitate complicatis.

## XXVII.

Hortabitur manu dextra, cava, rara, supra que



que altitudinem humeri dextri, gravi motu,  
elata,

## XXVIII.

Mitigabit animos manu pansa leniter,  
parvisque intervallis mota humeris, pau-  
lum modestèque assentientibus.

## XXIX.

Modum & copiam manibus, vel parùm,  
vel multùm disjunctis ostendet: vocabit ma-  
nu sursum flexa: dimittet aversa: minitabi-  
tur erecto & moto indice: prohibebit, pro-  
mittet, poscet motu, quem his affectibus im-  
petus naturæ proprium dedit.

## XXX.

Gestus optimè incipitur dextra, à latere si-  
nistro simul incipiente sententia: deponitur  
autem à dextris unà cum fine sententiæ: Ine-  
ptum est gestum sæpe deponere in eadem  
sententia, aut sæpe finire motus sinistros.

## XXXI.

Sola sinistra rarissimè gestum exhibebit:  
sæpe tamen sinistram cum dextra movebit  
orator: ut cum ostendet rerum multitudi-  
nem, magnitudinem, vastitatem, vel sum-  
mos affectus, vel ubi vocem per conduplica-  
tionem repetet.

## XXXII.

Utraque manus nonnunquam immota  
conquiescet: præsertim ubi nullus affectus  
assurgit: displicet tamen diuturnâ motûs in-  
termissio

## XXXIII.

Curandum est, ut varietas gestuum, varie-  
tati vocis & verborum respondeat: quod, ut  
com-



commodius fiat, quatuor observanda sunt. Primum tota causa videnda, an læta sit, an triftis: deinde partes majores: nam exordio lenis motus, confirmationi verò alacrior: tum sententiæ, quæ variantur affectibus, quibus exprimendis adhibenda est diligentia. Postremò verba singula, quorum aliqua subinde vel cum emphasi, vel aliqua alia significatione proferenda sunt.

## XXXIV.

Nemini placet ejusdem gestûs perpetua repetitio: argutiæ tamen & flexus superstitiosi, quos veteres non tradiderunt, procul sunt removendi.

## XXXV.

Finis orationis si ad concitandum sit compositus, motus requirit concitatos: si ad placandum, lenes & suaves: si ad tristitiam, tardos ac fractos: si ad lætitiã, alacres, celeres, excitatos.

## XXXVI.

Dignitas, & modestia in omni motu magnoperè est observanda, & decorum illud, quod latenti quadam, & inexplicabili ratione aliud est in aliis; quod quidem sine arte non est, neque tamen totum arte tradi potest.

